Pro Quodlibetaria disputanda In Scholis Medicorum die Jovis 26a Januar.

Præside Literatissimo Viro

Richardo Du Carte Doctore Medico.

An ventriculi et Iocinoris affectus, Excrementa satis Indicent?

Ventriculus primæ ciborum officina, dum præter naturam habet suo ore affecto appetentia corrumpitur, Nausea, singultus, syncope, cardialgia adveniunt: parte vero inferiore laborante, vitiata coctio, ciborum fluctuatio, inflatio cum sonitu, lienteria excitantur. Symptomata tamen oris ventriculi, etsi graviora, facilius magna ex parte abiguntur, quam quæ à fundi propria imbecillitate oriuntur.

Graviores oris ventriculi affectus, excrementa per vomitum educta semper indicant, et sæpius persanant, veluti liquidiora alvi excrementa, crudioraque spatii, aut corporis ventriculi affectum declarant, qui si plusculum protrahatur, morbis prope omnibus iecoris periculosior esse potest.

Iecur sanguinis opifex, intemperie, obstructione, tumore præter naturam oppressum, icterum, hydropem, atrophiam, colorem vitiatum corpori inducit. Intemperies si habitum contraxit, nulli remedio cedit. Obstructionem frigidi humores, et lenti conciliant: quam calidi si aliquandiu perseverent, nunquam sine phlegmone, aut erysipelate accedunt. quod si flatuum copia collecta sit, dolor tensivus sine gravitate percipitur, qui vel maxime cruciat, ista facilius, quam qui ab insigni humorum copia contractus est, profligatur.

Hepatis vitium excrementa plenissime indicant, adusta quidem et atra calidam intemperiem: tenuia et saniosa frigidam: aridiora siccam: et liquidiora humidam. Excrementa faeci simillima, caloris defectum [illegible] non semper significant, præsertim ubi alvus antea restitit: [illegible] partes alvum, [illegible] urinas magis repurgant: Color sanguinis tum per alvum fluendi, tum per summam corporis superficiem suffusi, affectiones iecoris diuturniores manifeste declarat.

Appetitus corruptionem, eductio humorum per vomitum, ut et alia oris ventriculi symptomata, facile emendat. Tardiorem ventriculi coctionem sæpe calefacientia, interim frigidiuscula sanant: intemperiem hepatis præsertim frigidam, qualitate contraria cum adstringentium usu oppugnabis: obstructiones aperientibus, et attenuantibus. purgationem vero aut sanguinis missionem non necessario adhibebis: at phlegmone iecoris nullo alio remedio promptius superatur. In erysipelate refrigerantia purgationi præpones, neque venæ sectionem in totum prætermittes, quam in oedemate, inflatione, et scirrho superfluam statuimus.

Excrementa itaq; ventriculi et Iocinoris affectus satis Indicant.

Asserebat Franciscus Mocet. 1642.

